

atque eo quidem modo ac pari forma fient dictae pensiones eo casu quo praefati Helvetii recusarent suscipere dicti ducatus Mediolani defensionem. Ipse autem Dux promittet eosdem Helvetios gaudere omnibus immunitatibus et exemptionibus in Statu Mediolanensi quibus gaudebant tempore quo ipse Christianissimus Rex statum illum possidebat. Et de hoc observando, cum praefatus illustrissimus Dux in praesentia dare non posset fideiussiones in Francia a Christianissimo Rege requisitas, promittunt iamdicti nuncii quod Sanctissimus ipse Dominus noster Papa illustrissimus Dux inclitumque Venetorum Dominium effectualiter procurabunt quod promptissime dabit eas cum primum liber erit ab hiis angustiis quibus nunc opprimitur; casu autem quo id non faciat, erit ille quidem a praesentis tractatus beneficio exclusus, attamen praefatus Rex Christianissimus haud quaquam vult nec ullo modo intelligit se ab illa amicitia et confoederatione separare quam ob causam regni Franciae cum ipsis Helvetiis habet.

Item, Christianissimus Rex promittit coeteris confoederatis principibus eadem praestare et concedere illustrissimo domino Maximiliano Sforciae quae promittit et pollicetur moderno Duci illustrissimo eius fratri, casu quo ipse decederet aut a praefato ducatu submoveretur.

Item, conventum est ut ipsi Regi Christianissimo restituatur comitatus Astensis uti res seiuncta a Mediolanensi ducatu et antiquissimi iuris hereditarii illustrissimorum ducum Aurelianensium, et si aliqua fortasse de causa confoederatis non videretur oportunum ut ipse Christianissimus Rex ad eum comitatum restitueretur, ad minus tradatur illustrissimo duci Aurelianensi eius filio gubernandus comitatus ipse, a quo Maiestati suae libitum fuerit quoad ipse Dux eius filius ad legiptimam pervenerit aetatem.

Item, conventum est ut in civitate Januae, vel is qui nunc est illustrissimus dominus Antoniotus Adurnus dux relinquatur si ad confoederatorum devotionem qui hoc comprehendunt tractatu sese converterit, vel mutetur quidem eius civitatis status in eam formam quae ipsis confoederatis ad quietem et securitatem Italiae maxime conveniens esse censebitur, reservato tamen Regi Christianissimo titulo et iure supremi domini, eo modo quo habebat idem Christianissimus Rex cum eam possideret civitatem.

Item, promittunt et pollicentur praefati confoederati, quod si Imperator electus denegaret aut pro-

tellaret peragere et exequi ea quae in secundo praesentis capitulationis articulo continentur, quod statim et cum primum praedictum bellum pro pacanda Italia finem acceperit, quicquid finis intelligitur et erit quando exercitus hostium profligatus sit penitus aut ita debilitatus ac destitutus ut reliquiae se in aliquam civitatem seu locum munitum ad se tuendum recipere cogantur nec amplius exire in campo convenire aut castrametari valeant, iamdicti contrahentes invadent et offendent regnum Neapolitanum cum viribus tam terrestribus quam maritimis quibus supra declaratum est, demptis tamen his quae eorum arbitrio dimittentur ad obsidendas hostium reliquias quae se in aliquem munitum locum ad se tuendum receperint, ut superius commemoratum est. Quod si Imperator electus ab ipso regno Neapolitano pellatur eiusve exercitus illinc eiciatur, manebit quidem illud regnum ad Sanctissimi Domini nostri Papae arbitrium uti de regno et re ad Ecclesiam pertinente, nec vero ipse Christianissimus Rex aut reliqui confoederati quidquam diminuent de ea auxiliorum summa quae quilibet praestare debet quousque Imperatoris exercitus fuerit deletus aut ita debilitatus ut in aliquod castrum seu munitum locum sese tuendi causa receperit; quo casu deligentur communi eorum qui bellum gerunt arbitrio tales copiae quae aptae et sufficientes existimabuntur ad praedictam reliquiarum expugnationem, alentur pariter praefatae copiae communi confoederatorum impensa pro rata subsidii tradendi facienda, donec locus ille expugnatus fuerit quemadmodum in simili casu explicatum est superius. Hac tamen lege et conditione Neapolitanum regnum apud Summum Pontificem manebit si idem Pontifex se ac suos successores de consensu collegii reverendissimorum dominorum Cardinalium obligaverit securitatesque in Francia sufficientes dederit, quod singulis annis Christianissimo regi suisque successoribus ratione iuris quod sibi in illo regno competit eum annum censum pensitabit qui arbitrio suo conveniens videbitur, dummodo non sit minor septuagintaquinque millium nummum auri solis. Haec autem promittit Christianissimus Rex solummodo casu quo ut supra dictum est illius regni status immutaretur; quod si secus fieret aut eveniret, permanebit eidem Christianissimo Regi integra omnis sua actio et pristinum ius ac facultas agendi uti libitum fuerit.

Item, conventum est quod casu quo contingeret, quod Deus avertat, ut praefatorum confoederatorum aliquis decederet vel ab hoc foedere discederet, nihilominus foedus ipsum inter reliquos confoe-